









J. M. B.  
COMMENTATIO

IN  
§. Item Major. 13. Inst.

de  
Excusat. Tutor. vel Curat.

QUAM  
SUPERIORUM INDULTU  
IN

ACADEMIA LIPSIENSI,

PRÆSIDE

Jcto

Admodum Reverendo, Magnifico, Nobilissimo  
atque Excellentissimo

DN. GEORGIO TOBIA

Schwendendörffern /

Facultatis Juridicæ Ordinario, Decretalium Prof:

Publ: Elector: ac Ducalis Curiaæ Supremæ Assessore, Canonico Martis-  
burgensi, Collegii Pp: Majoris Collegiato, Academia Decemviro  
& Bavaricæ Nationis Seniore merentissimo ,

Dno. Patrono ac Promotore suo honoratissimo ,

Ad d. XII Maji, An. 1671.

In Auditorio Jctorum

P. P.

Georg Conrad Schuster /  
AUTHOR.

LIPSIÆ,

Literis SPÖRELIANIS.

573

35

37

1671/16

*[Handwritten signature]*









577


A MONSEIGNEUR  
**MONSEIGNEUR GUSTAVE**  
LE BARON DE RÆGKHNITZ,  
SEIGNEUR DE PERNECK, SAINT  
ULRICH, MARPURG ET KIMBERG, &c.  
Conseiller de Son Altesse Electorale de Saxe, &c.  
Chambelant & grand Maistre d'hostel de  
Madame l' Electrice, &c.  
MON TRES PUISSANT ET PLUS QV' HONORÉ  
PATRON,











I. M. B.

## PRÆLOQVIUM.



Cum animum induxisssem meum,  
 Lector benivole, in publicum tandem redire,  
 diu anceps hæsitavi, quam potissimum ma-  
 teriam mihi enucleandam sumerem. Cum  
 enim juris Justiniani Vireta tot florum no-  
 bilissimorum cumulis scateant, quot Hybla,  
 Zephyri flatibus imprægnata; idem mihi ac-  
 cidit, quod api, quæ inter summam floræ Luxuriam dubia  
 circumvolat, donec tandem ex proximis, cum ex omnibus  
 non possit, suos sibi favos evocet. Ipse quoque, cum privatâ  
 lectione inciderem in præsentem paragraphum, nolui diutius  
 expectando digniora supersedere. Si forsan quid minus ac-  
 curatè dictum irrepsit, partim iudicio minus exasciato, par-  
 tim festinationi dabis. Quod si à Te, Benivole Lector, impe-  
 travero, constabunt Tibi rursus mea officia, si non maxima,  
 tamen promptissima.

A 3

VER-



\*\*\*

## VERBA TEXTUS.

**I**tem Major septuaginta annis à tutela & cura se potest excusare. Minores autem viginti quinque annis olim quidem excusabantur; nostra autem constitutione prohibentur ad tutelam vel curam aspirare, adeò, ut nec excusatione opus sit. Qua constitutione cavetur, ut nec pupillus ad legitimam tutelam vocetur, nec adultus: cum sit in civile, eos, qui alienò auxiliò in rebus suis administrandis egere noscuntur, & ab aliis reguntur, aliorum tutelam vel curam subire.

## COMMENTATIO.

§. 1. Tractat Justinianus Imperator sacratissimus in §. 13. h. de ætate, quem in modum illa excuset à tutelæ onere. Ubi præ monendum de ætate in genere quid, & quotuplex ea sit. Definitur autem ætas, quod sit certus vitæ cursus, per partes suas habens tempestivitates: Tullius de *seneclæ*. Dicitur *certus cursus*, quia homo continuò aliâ ætate seu vitæ parte alteram excipiente ad extremum vitæ actum sine regressu à posteriore ad priorem procedit. Dicitur porrò, *per partes suas habens tempestivitates*, quia ætates singulæ sua habent discrimina, quæ ab aliis ætatis partibus tanquam differentia

tia



\* \* \*  
tia specifica secernuntur : quæ ex affectibus animi humani  
eleganter distingvit Horatius *de arte poët.*

§. 2. Dividitur variè à Doctõribus. Servius Tul-  
lius referente Gelliõ *lib. 10. c. 28.* tres ætates constituit,  
Pueritiam puta, Juventutem & senectutem,  
quem secutus videtur Ulpian. *in l. 8. §. 10. ff. de Transact.* Mar-  
cellus *in l. 69. §. 1. ff. de leg. 3.* Contra Constantinus *in l. un. Cod.*  
*Theod. de his qui ven. atat. impetr.* quinque partes recenset:  
pueritiam, adolescentiam firmatam, legiti-  
mam & senectutem. Eandem divisionem appro-  
bant Varro, Hippocrates aliique passim, vid. Calvin *in lexic.*  
*jurid. sub voce etatum.* Cujacius *in l. 2. ff. de excusat.* agnoscit  
quatuor. Glossa *in proœm.* sexti Decret. verb. perfectus,  
sex: *in c. 1. verò X. de celeb. miss.* septem, quam posteriorem  
sententiam defendunt Menochius *lib. 2. arbit. Judic. qu. Cent.*  
*1. c. 57. n. 2.* & Schneidevvein. *in §. 4. n. 2. Inst. de Curat.* Com-  
modissima autem nobis videtur ea divisio, quâ Doctores vul-  
gò ætatem dispescunt in veram & fictam. Illa, quo ad  
usum juris, rursus dividi potest in perfectam & im-  
perfectam *l. ult. C. qui ven. atat. l. ult. C. in quib. caus.*  
*rest. in integr. necess. non est.* Ioh. Aloysius Riccius *de c. Neap.*  
*284. n. 1.*

§. 3. Perfecta ætas plerumque appellatur, quæ  
viginti quinque annorum spatiõ naturaliter impletõ termi-  
natur *l. ult. C. de his qui ven. atat.* Adde Gothofr. *ad d. l. ult.*  
Aliquandò tamen etiam pro ea accipitur, quam leges in ali-  
qua causa vel actu requirunt: Ita enim in nuptiis annus deci-  
mus quartus in masculis, in fœminis verò annus duodecimus  
ætas



\* \* \*

ætas legitima & perfecta appellatur *l. 8. ff. de cond. caus. dat. causa. non secut.* Ita etiam in ultimis voluntatibus faciendis similiter annus decimus quartus, qui præterea legitima ætas est ad manumittendum *Nov. 119. c. 2.* Ita annus decimus septimus, dicitur legitima ætas ad postulandum *l. 1. §. 3. ff. de postul. junct. l. 12. C. de procurat.* Imperfecta ætas est vel pupillaris *l. 16. ff. de jur. fisci.* Eaque triplex constituitur: infantia, anni infantia proximi, & pubertati proximi *§. 9. Inst. de inutil. stip.* vel est minor, quæ pupillarem excipit & duraturusque ad legitimam ætatem. **Ætas ficta** est, quæ juris fictione datur his, qui illam nondum attingerunt, aut naturaliter habere possunt, quales sunt nondum nati *l. 7. §. 26. ff. de stat. hom.* Item qui aliò tempore, quam revera sunt nati, finguntur nati fuisse *l. 25. §. 1. ff. de lib. & posth.* ut & in illis, qui veniam ætatis beneficiò principis consequuntur *rot. tit. de his qui ven. etat.* Confer elegantissimum Juris prudentia Professorum D. D. Paulum Franciscum Romanum Affinem nostrum honoratissimum in *not. ad Vvesenb. parat. de minorib. n. 1.*

**§. 4.** Dividitur paragraphus præsens in duas partes; quarum prima tractat de ætate nimis provec̄ta, puta de major. 70. annis, num illi excusationem habeant ab onere tutelæ? Altera verò de ætate nimis tenera, videlicet minoribus viginti quinque annis; quæ pars iterum dividenda in duas sectiones, quarum prima tractat **JUS VETUS**, altera **JUS NOVUM Justinianicum.** Illa consistit in his verbis: *minores autem 25. annis olim quidem excusabantur; hæc in illis; nostra autem constitutione prohibentur ad tutelam*



lam vel curam aspirare. <sup>\*\*\*</sup> Ratio cum sit incivile, eos, qui alieno auxilio in rebus suis administrandis egere noscuntur, & ab aliis reguntur, aliorum tutelam vel curam subire.

§. 4. De Majoribus sive ætate nimis provecis primo loco dicendum. De iis Imperator hanc regulam proponit: major LXX. annis à tutela vel cura se potest excusare. h. e. immunem facere l. 2. pr. ff. de excusat. l. un. C. qui etat. Nam senectus semper in Civitate Roma venerabilis fuit, eundemque ipsi honorem, quem Magistratibus veteribus, præstabant l. s. ff. de jur. immun. Adde Gothofr. ibid. Consistebat autem ipsorum honos in assurgendo, in locando, accedendo, domo deducendo & reducendo; quippe

*Credebant hoc grande nefas & morte piandum,  
Si Juvenis vetulo non assurrexerat, etsi  
Barbato cuicunque puer, licet ipse videret  
Plura domi farra, & majoris glandis acervos,  
Tam venerabile erat præcedere quattuor annis.*

Juvenalis Sat. 13.

§. 6. Cæterum etiam excusatione honorum & vacatione munerum personalium colebatur senectus. Nam honorum oneri subducebant anni LX. in urbe Roma. Senec. de brev. vit. Lex à quinquagesimo anno militem non cogit, à sexagesimo Senatorem non citat. A Decurionatu anni LV. excusabant l. 2. l. 11. ff. de Decur. l. 5. ff. de jur. immun. A tutelis cæterisque muneribus excusabant LXX. anni completi l. 3. de jur. immun. l. 2. h. l. un. C. qui etat. Nam tempus hinc computatur naturaliter à momento ad momentum adeo, ut nec sufficiat, eum, qui à tutela se vult excusare, attigisse annum LXX. sed etiam illum prorsus complevisse oporteat,

B





\* \* \*

teat. quia in immunitatibus & excusationibus annus captus  
pro completo non habetur *l. 3. ff. de jur. imm. l. 74. §. ult. π. ad  
SCtum Trebell. Hottomann. ad §. 13. h. Vinn. in Comm. ad pr.  
Inst. de Curat. n. 4. Carpz. l. 5. Resp. 90. n. 15. D. D. Philipp. eclog.  
91. Brunnemann. Exercit. 11. ad §. 13. h.*

§. 7. Sed quid si agens supremum diem anni LXX.  
eō die ad tutelam vocatus fuerit, excusabitur ne? Neg. Major n.  
septuagenario esse debet *l. 2. in pr. ibi; excessisse autem oportet  
ff. de excus. tut. l. 3. ff. de jur. immunit. & ita judicatum fuisse  
in suprema Frisæ Curia refert ex Sandæo lib. 2. dec. 9. §. fin.  
Wissenbach. volum. 1. disp. π. 52. th. 3. Sed obstat huic excu-  
sationis causæ *l. 3. C. qui etat. vel profes. se excus. ibi: majores  
LV. annis invitati ad munera personalia vocari non possunt. Resp.  
in eo textu numerum esse corruptum, & pro LV. legendum  
LXX. sicut ex verbis mox seqq. ibi: cum itaq; majorem septuage-  
nario te esse profitearis, apparet. Adde Cujac. ibid. Vinn. ad d.  
§. 13. h. Carpz. d. l. n. 17, 18, 19. Præterea illud etiam responde-  
ri potest, quod ibi agatur de muneribus personalibus ejusmo-  
di, quæ simul corporis laborem exigunt & dignitatem con-  
junctam habent, vid. Bach ad VVesenb. tit. de excus. tut. vel  
curat. n. 6. & ad Treutl. vol. 2. disp. 9. th. 2. lit. c. Hahn. in not.  
ad VVesenb. d. l. n. 6. Aliter Simon van Leeuwen in not. ad d. l. 3.**

§. 8. Cæterum & illud notandum, quod LV. anno-  
rum ætas à Decurionatu tantum excuset *l. 2. §. 1. l. 11. ff. de De-  
cur: non à cæteris muneribus civilibus l. 3. ff. de jur. immunit. l.  
3. §. 6. l. 12. ff. de muner. & honor. l. 2. §. 1. de vacat; & excusat: mu-  
ner: tutela autem sit munus civile & publicum l. 1. §. 4. l. 8. §. 2.  
ff. de vacation. & excus: l. 8. & 13. C. l. 6. §. 15. π. de excusat. tut:  
l. 18. pr. junct. §. 1. ff. de mun: & honor: pr. Inst. de Excus. l. 9.  
ff. de his qui sunt sui vel alien. jur: Non obstante (l.) l. 12. §. 1,  
ff. de vacat. mun: ubi tutela à civilibus muneribus separatur.*

Re-



<sup>\*\*\*</sup>  
 Respondemus, id eâ ratione fieri, quoniam cum agitur de im-  
 munitate, tutela non venit, nisi nominatim exprimatur: Qui  
 enim immunitatem habent à publicis vel civilibus muneribus,  
 non habent continuò immunitatem à tutela l. 15. §. 12. h.  
 nisi nominatim id concessum sit d. l. 17. §. 2. l. ult. §. pen. ff. de mu-  
 ner. & honor. §. l. 10. C. h. aut alioquin intelligi possit, plenissi-  
 mam immunitatem fuisse concessam d. l. 17. §. 1. (II.) L. 3. C. de  
 excus. muner. ubi tutelæ sollicitudo à muneribus Civilibus  
 non excusat. Respondemus quippe cum Wissenbachio in  
 Diss. π. 52. th. 3. subaudiendum ibi esse verbum **Cæteris**,  
 quasi is sensus legis istius sit: tutelæ sollicitudo à cæteris mu-  
 neribus civilibus non excusat. Adde Petrum Fabrum in l.  
 2. ff. de R. I. (III.) L. 6. §. 15. ibi. *tutela non est reipublicæ munus*  
 π. h. Ergò non est munus publicum. Vel enim dicimus, mu-  
 neris publici appellationem latiore esse, quàm reipublicæ  
 quippe hòc nomine significatur munus in administranda re-  
 publica, ac præsertim cum sumtu l. 14. ff. de mun. & honor.  
 in administrandis, inquam, & gerendis rebus ad civitates &  
 municipia pertinentibus. Reipublicæ autem nihil interest,  
 pupillis tutores dari l. 2. §. 5. ad municipal: Eoque casu re-  
 cte tutela munus Reipublicæ esse negatur in l. 6. §. tutela 15. ff.  
 h. Quin imò nec publicum munus tutela dici poterit, si pu-  
 blicum definias, quod in administranda republica cum sum-  
 tu sine titulo dignitatis subimus l. 14. ff. de muner. & honor. hoc  
 est in administranda re pecuniaria Reipublicæ aut ejus nego-  
 tio aliquo. Illò enim sensu nihil distant publicum & Reipu-  
 blicæ munus. Attamen Justinianus in pr. 7. h. scribit, tutelam  
 & curam publicum munus esse, quod de tutela quidem pro-  
 batur etiam d. l. 17. §. 2. ff. h. ubi inter munera publica & muni-  
 cipalia habetur. Sed dicuntur publica nò tantùm, quæ in pecunia  
 populi habentur l. 6. π. de contrah. empt. quò sensu antè  
 munus reipublicæ & publicum exposuimus. Verùm præterea  
 B 2 etiam



\* \* \*

etiam quæ nō in pecunia populi habetur, sed in publico usu d.  
*l. 6.* Imo quæ ad utilitatē publicam pertinere Respublica indi-  
 cavit, & quorum idcirco curam ipsa suscipere voluit, licet  
 alioquin ad privatos pertineant, quæ formā populares actio-  
 nes publicæ appellantur *l. 30. §. 3. de jure jur.* quoniam illæ jura  
 populi sui tuentur, licet privati alicujus interesse possit, qui &  
 agēdo præfertur *l. 1. §. 3. de popular: act.* Tutela ergo pu-  
 blicum munus dicitur nō ratione suæ naturæ, sed interpreta-  
 tione *pr. Inst. h.* quod tutelarum causa ad utilitatem quoque  
 publicam pertinere visa sit *l. 10. §. ult. ff. de test. tutel.* Ideoque  
 & inter causas publicas relata *l. 9. ff. de his qui sunt sui vel alien.  
 jur.* Verbum enim placuit in *pr. Inst. h.* positum Jctorum  
 interpretationem ut plurimum significat *l. 44. §. 2. h. Maranus  
 Antecessor Tholosanus in parat. ff. de excusat. p. m. 457.* Vel  
 ideò tutelam appellari munus publicum, quia cuivis è populo  
 non secus ac cætera munera publicè injungi potest. Arnold.  
*Vinn. pr. Inst. de excus.* Adde Hahnium in *not. ad VVesenb. de  
 tutel. n. 4.*

§. 9. Hæc de prima parte, sc: majoribus LXX.  
 annis, ubi regula subsistit; illos à tutela vel cura se  
 rectè excusare posse. Sequitur altera, quæ de mino-  
 ribus XXV. annis concepta legitur in §. præsentī, num isti, ut  
 majores, se rectè à tutela excusent? distingvit Imperator in-  
 ter jus antiquum & suas Constitutiones: illò jure, minores  
 XXV. annis excusatos fuisse affirmat: Constitutione autem  
 sua prohiberi ad tutelam vel curam adspirare, adeò ut nec ex-  
 cusatione opus habeant, cum incivile sit eos, qui alienò auxiliò  
 in rebus suis administrandis egere noscuntur, & ab aliis re-  
 guntur, alienam tutelam vel curam subire.

§. 10. Constitutio, cujus mentionem Imperator h.  
 6



\*\*\*

*Et in §. fin Inst. de fid. tut. facit extat in l. nemo neque frater. ult. C. de leg. tut. Cuius verba existimamus apponenda.*

IMPERATOR JUSTIN. A. DEMO-  
STHENI P.P.

**N**emo neque frater, neque alius legitimus in tutelam sive ingenui sive liberti vocetur, antequam quintum & vicesimum suae aetatis annum impleat. Immineat enim cuique pro sua tantummodo administratione periculum, ne alieno onere alius praegravetur. Sic etenim & pupillis & adultis competens gubernatio induceretur, & naturalis ordo per omnia conservabitur. Cui enim ferendum est, eundem esse tutorem & sub tutela constitui, & iterum eundem esse curatorem & sub cura agere? Haec certe & nominum & rerum foeda confusio est. Discretis itaque omnibus vel dativi vel legitimi fiant tutores vel curatores hi, qui talis aetatis sunt, cui suarum rerum administratio committitur, quorumque res possunt plenissimo jure hypothecarum teneri. Omnibus, quae de successione tam ingenuorum quam libertorum disposita sunt, in suo robore duraturis nec aliquam immi-



n<sup>\* \* \*</sup>tionem ex<sup>\* \* \*</sup>præsentis legis sanctione accepturis: maxime in libertorum successione; ne videantur ex eo, quod ad tutelæ gravamen non veniunt, successione emolumentum amittere. Recitata septies in novo Consistorio Palatii Justiniani. Dat. III. Kalend. Novemb. Decio V.C. Conf. 529.

§. 11. Proclamat autem Imperator ante illam Constitutionem minores XXV. annis potuisse tutores vel Curatores existere, & ne fierent excusandos oportere. Quod clarius particulâ Olim in §. 13. h. positâ evincitur. Ast explicandum, cuius temporis faciat mentionem verbum illud Olim. Et dubium non est, illud loqui & interpretandum esse eò de tempore, quò Jcti interpretationibus suis jura cõstituerunt: Illis quippe tributum erat, ut jura interpretandò constituerent *l. 2. §. 5. ff. de O. l. l. 11. l. 12. §. 13. ff. de LL. l. 1. ff. de priv. delict.* Osvaldus Hilliger, *ad Donell. lib. 1. Comment: c. 8. lit. e.* Et ab hoc genere condendi jura omnes juris regulæ pervenerunt. Ideoque eorum titulus dicitur de Regulis juris antiqui, & quasi ex illo constituendorum jurium modo descendens Constitutio Prudentum vocatur Regula in *l. 13. §. 1. ff. de lib. & posth. l. 12. §. 2. de Legat. 1. l. 86. §. 2. eod. l. 11. §. 1. ff. de dol. & metus except. l. 20. C. de Collat. l. un. C. ut act. & ab hered. & contra hered. l. 21. C. de furt.* CONSTITUTIO CIVILIS in *l. 1. ff. de privat. delict* & hoc est, quod notat verbum antiquitas, quo utitur Justinianus in *d. l. un. & d. l. 21. C. de furt.* vid: Nobilissimum Jctum Romanum in *prælect. publ. ad rubr. de R. l.*

§. 12. Et hæc tractatio proveniens ex interpretatione



tione Jctorum vocatur <sup>\*\*\*</sup>Jus Civile *d.l.2.§.5.ff. de O. I.* Ex  
 eo, quod hæc pars Juris statim post leges XII. tabb. ad eam  
 interpretationem ante Prætorum Edicta, ante novas Leges &  
 Constitutiones principum à Jctis introducta esset, quemad-  
 modum colligitur ex *d.l.2.§.35 ff. de O. J.* ibi: *Juris Civilis*  
*scientiam plurimi & maximi viri profesfi sunt: sed qui eorum ma-*  
*xime dignationis apud populum Romanum fuerunt, eorum in*  
*presentia mentio habenda est, ut appareat, à quibus & qualibus*  
*hæc jura orta & tradita sunt.* Et ex *l. 120. ff. de V. S.* ibi: *Sed*  
*id interpretatione coangustatum est, vel LL. vel authoritate jura*  
*constituentium.* Et propterea illa variis nominibus appellatur,  
**Jus Civile, media Jurisprudencia, antiquitas,**  
**vetustas, antea, olim, &c.** §. 8. *Inst. de J. N. G. & C. §.*  
*ult. I. quib: ex caus. manum. licet §. ult. J. de adopt. §. 4. I. de*  
*Donat. §. 1. I. per quas pers. cuiq; acquir. §. 1. J. de testam. ordin.*  
*§. 3, 23, 25, 28, & 36. J. de Legat. §. 7. J. de fideic. hered. §. 14. &*  
*15. I. de hered. quæ ab intest. defert. pr. I. de serv. cogn. pr. I. de*  
*succ. libert. pr. I. de succ. subl. §. 1. de V. O. pr. de litt. obl. pr. I.*  
*per quas pers. ager. poss. pr. I. de satisdat. pr. I. de perpet. & tem-*  
*por. act. & l. 7. §. 8. ff. de acquir. rer. dom. eaq; sola de causa Jcti,*  
 qui illas leges per interpretationem suam introduxerunt,  
**veteres Antiquiores, Antiqui,** vocan-  
 tur *pr. J. quib. mod. tut. fin. §. 2. I. de Usu cap. §. ult.*  
*J. de Donat. §. 11. J. de Obl. quæ ex del. nasc. l.*  
*3. §. 18, & 19. ff. de acquir. vel amitt. poss. l. 32. ff. de hered. inst.*  
*l. 3. ff. si pars hered. pet l. 21. C. de furt. l. 1. §. 9. ff. ad Leg. Falc.*  
 Et leges ipsæ sic per interpretationem Prudentum constitutæ  
**Veteres** appellantur *in l. 33. §. 1. C. de inoff. test.* Eodem prin-  
 cipio etiam provenit, quod constitutiones Principum dicantur  
 introductæ fuisse post vetustas leges *§. ult. I. de mil. test. §.*  
*2. I. de Usucap. §. 15. I. de hered. quæ ab intest. defert. & adeo*  
 verum est, quod appellatione vetustatis & aliorum hæc jura  
 per





\* \* \*

per interpretationem Jctorum constituta existimentur, ut quando nomine vetustatis significare vult L. XII. tabb. non dicatur antiquitas vel vetustas simpliciter, sed ita antiqua lex XII. tabb. quemadmodum constat ex §. 5. I. de exher. liber. vel ita olim L. XII. tabb. ut in pr. I. ad Leg. Falc. vel sic primis temporibus ut in pr. I. de fideic. hered. videatur Hieronymus de Oroz de apic. Jur. Civil. lib. 1. c. 1. n. 3. lib. 2. c. ult. n. 9. & lib. 5. c. 7. n. 5. Colligitur ergo ex his verbum illud olim in §. nostro positum de tempore Jctorum jura interpretatione constituentium intelligendum oportere.

§. 13. Sed videndum, quò jure Justinianus Imperator Sacratissimus, cujus laus aliàs in constituendis juribus æterna Orbi erudito relicta, hoc ipsum, quod minores XXV. annis olim tutores esse potuerint, de Jctis affirmet? Ipsis enim indignum, imò ab ipsorum Jurisprudencia planè alienum putatur. Quippe cum apud ipsos non semel expressum videatur, ne minores XXV. ad tutelam, nec quidem ad legitimam, nisi perfectæ sint ætatis, admittantur. Nam semper legitimam & perfectam in tutoribus vel curatoribus, ut tutelam vel curam gerere valeant, ætatem exposcunt, ut ex multis Jurium textibus apertè demonstratum dabimus. Ita enim Jctus Paulus in l. 32. §. 2. ff. de test. tutel. legitimam & perfectam ætatem in tutore requirit, ibi: *tutelam autem post legitimam ætatem onerari.* Ita etiam Consultus Pomponius in l. 1. ff. de fidejuss. & nominat. ibi: *si legitima ætatis & masculus sit: ut & Impp. Diocletianus & Maxim: in l. 10. C. de Appell. ibi: vel ad legitimam ætatem.* His addimus Modestinum in l. 41. ff. de fidejuss. ibi: *post impletam legitimam ætatem: & Scævola in l. ult. §. fin. ff. de appell. aliosq; textus in l. ult. C. de his qui num. lib.*



*lib. l. i. C. de Curat. furios. l. 4. l. 8. ff. de legit. tutor.* Legiti-  
 ma autem & perfecta ætas ea dicitur, quæ XXV. annorum  
 completorum est *l. 27. ff. de Negor. gest. l. 20. §. 1. de liber. leg.*  
*l. 16. §. 9. ff. de publ. & vectig. l. 32. de Minor.* quam justam ap-  
 pellat Jctus Ulpianus *in l. 16. ff. de jur. fisc.* Eâ a. voce de-  
 monstratur, solam hanc esse ætatem idoneam vel tutelæ ge-  
 rendæ vel immunitatis ab ea præstandæ. Vid. Ægidium Hor-  
 tensium Jctum Bituricensem in *Comm. h.* Arnold. Vinn. *ad*  
*eund. §.* Et quamvis verum, minores XXV. annis testamen-  
 tō tutores rectè dari posse, perindè tamen est, ac si sub eâ con-  
 ditione darentur, cum majores facti fuerint: illa enim tacitè  
 dationi inest. Intereâ nec tutelam administrant, nec ullò  
 effectu pro tutoribus habentur *§. 2. f. qui test. tut. dar. poss.*  
 Nam alii tutores aut Curatores interim constituuntur à Ma-  
 gistratu, qui deinceps tales esse desinunt existente conditione  
*l. 10. §. pen. h.* Neq; hæc videtur Imperator correxisse cum in  
 constitutione tantum sua loquatur de tutoribus legitimis &  
 dativis, non autem de testamentariis. Ita etiam Agnatis mi-  
 noribus XXV. annis quidem defertur à L. XII. tabb. tutela,  
 sed nec ii habent administrationem, neq; pro tutoribus repu-  
 tantur, quamquam ipsò jure tutores videantur, nisi perfectæ  
 ætatis facti fuerint, quâ demùm consecutâ veri & idonei tuto-  
 res existunt, nam si in minorennitate constituti Veri tutores  
 esse potuissent atq; administrandi potestatem haberi nul-  
 lus certè tutor interim à Magistratu constitueretur *arg. §. ult.*  
*l. de Curat. l. 10. §. pen. ff. de excus. tutor.* Adde Bachov. *ad Treutl.*  
*vol. 2. disp. 9. th. 2. lit. c.* Locamer. *quest. Justinian. 56.* Ex  
 quibus constat, non minores rectè olim tutores dare  
 potuisse excusationeq; opus habuisse si tutores esse no-  
 luerint. Nam excusationes propriè in iis locum habent, qui  
 jure tutores esse possunt, non autem in iis, qui ipsò jure te-  
 neri nequeunt *l. 13. §. 12. ff. h.* Illos enim ad tutelam  
 adspirare omninò non potuisse, authores sunt Jcti antea lau-  
 dati.



\* \* \*

§. 14. Præterea minores olim tutores non extitisse eadem, quam Imperator adduxit, svadebat ratio, sc. ætatis imbecillitas ingeniiq; infirmitas. Nam inter omnes constat, fragile & infirmum hujusmodi ætatis consilium esse, multisq; captionibus suppositum ac multorum insidiis expositum. *l. 1. pr. l. 7. §. 5. ff. de min.* Unde neque cum ipsis propter beneficium restitutionis in integrum validè contrahi potest, neq; ipsi defensores laudantur idonei *l. 51. ff. de procur.* Petrus Faber *ad l. 2. de R. I.* Et idcirco cùm tutela sit tuitio ac defensio pupillorum tutores esse nequeunt: Publicè enim interest, ne pupilli indefensi relinquuntur, quod tamen omninò contingeret, cùm minoribus tutela gerenda demandaretur.

§. 15. Facit etiam, quod cùm aliàs dicatur Filius familiars nihil posse possideri sibi propriumq; habere vel acquirere, quia ipse est in alterius potestate & quasi possessione, eodem modò dicendum, pupillum non posse habere tutelam neque minorem curam aliorum, quia ipsi in aliena tutela vel cura existunt & hæc certè ita olim ante Justinianum semper fuerunt, & etiam nunc sunt.

§. 16. Ea; de causa ante eum dicitur pupillus nec tutorem suum eligere posse *in l. fin. ff. de manum. vind.* Namq; perabsurdum est & à Jurisprudencia alienissimum in eligendo tutore firmum videri istius pupilli iudicium, cuius in omnibus rebus, ut infirmum tutore authore regitur & gubernatur *l. 9. ff. de acquir. hered.* Ægidius Hortensius *d. l.*

§. 17. Neq; obstat iis, quæ jam diximus, Ictus Ulpianus *in l. 3. §. 11. ff. de hom. lib. exhib.* ibi: *Sed et si mulier vel pupillus hoc interdictum desideret pro cognato, vel parente, vel affine suo solliciti dandum eis esse interdictum, dicendum est.* Nam & publico iudicio reos facere possunt, dum suas suorumq; injurias exequantur



quantur. Ex quo videmus pupillo interdictum de libero homine efflagitanti pro cognato forte vel parente vel affine suo sollicito dandum esse, cum & publico iudicio reos facere possit, suas exequendo injurias. Ergo multo magis permissum erit ipsi tutorem eligere suaque cura aliis imperare eosque regere. Sed respondemus d. l. 3 §. 11. interpretari debere ex l. 2 §. 1. ff. de accusat. ubi ita Papinianus: *Pupillis ex consilio tutorum patris mortem, item pupilla avi sui mortem exequi concessum est.*

non §. 18. Sed objiciunt nobis Imperatorem defendentes Consultum Ulpianum in fragm. tit. 11. §. ex lege Julia de maritandis ordinibus 20. ibi: *Si legitimum tutorem pupillum non habeant* (ita enim legendum existimat Oroz. de apicibus Jur. lib. 5. c. 8.) non pupillam sive pupilla (ut habet lectio vulgata) §. 22. ibi: *idemque permittit in pupillo patroni filio.* Ex quibus locis ita colligunt: mulieri non omnino alios tutores in locum legitimorum, qui pupilli credebantur, ex lege Julia de maritandis ordinibus vel SCtis constitutos fuisse, sed tantum ad contrahendas nuptias, ad dotem dandam, dicendam, promittendamve; item ad hereditatem adeundam: unde sequitur in ceteris negotiis & causis pupillos legitimos tutores permanisse, tantum ergo abest, ut minoribus XXV. annis tutelam denegemus. Respondet Aegidius Hortensius in Comm. ad §. 13. h. quem novissime, dissimulatio tamen nomine, sequitur Hieron. de Oroz. de apic. Jur. dict. lib. 5. c. 8. illationem fieri a diversis, quæ firmum argumentum præbere nequeunt; cum in dicto §. non agatur de pupillorum pupillarumve, verum de mulierum tutoribus, quas pupillarum nomine venire, cum nubentium mulierum ibi sermo fiat (pupillæ enim cum virum pati nequeant, nubere non intelliguntur l. pen. ff. quando dies leg.) negat antea laudatus Oroz d. l. Accipiunt quippe mulieres tutores non propter ætatis sed sexus infirmitatem.

C 2

qua-



\* \* \*

quapropter in perpetua intelliguntur esse tutela. Ulpianus  
d. l. pr.

§. 19. Ex hac ergo causa existimant, non esse opus  
mulieribus alios dare tutores, cum legitimum habeant,  
quamvis pupillum vel minorem tutorem, quia ille in nego-  
tiis auctoritatem tantum interponebat, negotia vero non ge-  
rebat, ut pupillorum pupillarumve tutores.

§. 20. At solutio hanc difficultati removendam non  
satisfacere videtur: cum exinde nihilominus Imperatoris ef-  
fatum verum immutatumque subsistat, pupillos vel minores  
olim tutores esse potuisse, alio quamvis modo. Nova ergo  
tentanda conciliatio. Nos vulgatam lectionem probamus,  
quæ hæc est. Ex lege Julia de maritandis ordini-  
bus, tutor datur a Prætoribus Urbis ei mulieri  
virginive, quam ex hac causa lege nubere o-  
portet ad dotem dandam, dicendam, pro-  
mittendamve, si legitimum tutorem  
(idoneum puta) pupilla non habeat. Hanc ergo le-  
ctione conservatâ omnis difficultas decedit, clarusque illorum  
verborum sensus ejusmodi evincitur. Scilicet docet Ulpia-  
nus, mulieri nubenti, quæ caret tutore legitimo, habili puta  
& idoneo, dandum esse tutorem a Prætoribus Urbis ad dotem  
dandam promittendamve.

§. 21. Neque obest vox pupilla, quam vel indu-  
cendam putamus cum Cujacio ad d. §. vel ita explicandam,  
ut denotet eam, quæ parente privata est, quamvis viripotens  
existat. Et eodem sensu etiam parentibus privati appellantur pu-  
pilla



<sup>\*\*\*</sup>  
 pilli in *rubr. C. ubi pupilli educari debent*, rectè ita id explicante  
 Gothofredo in *not. ad rubr. d. t.* Nec facit pro Orozio Ulpian.  
*d. l.* ubi mulieres tam puberes, quam impubes tutores ac-  
 cipiunt & propterea in perpetua quasi tutela esse creduntur ;  
 quemadmodum etiam de Atheniensibus mulieribus refert  
 Menagius tersus & elegans Consultus & Antecessor Parisiensis  
*de amœn. jur. Civ. c. 25.* quarum tutores hęc fiebant ordine ;  
 Pater, Avus paternus, frater ex eodem patre, liberi qui ex e-  
 phebis excessissent, si horum nullus esset, uxorum tutores e-  
 rant ipsi mariti, qui vocantur *κῶπιοι*. Ex eo conjecturare da-  
 tur in aliis rebus vel negotiis tutorem mulieri alium adesse,  
 cum hic tantum detur, ad dotem dandam. Respondemus  
 enim, vel verba illa *ad dotem dandam* exempli loco duntaxat  
 esse adducta, cum ibi præ cæteris authoritas tutoris requira-  
 tur, vel etiam dicimus, ponendos esse terminos habiles: puta,  
 Titius habens puellam, Mæviam sc: in potestate nupturam  
 moritur anteqvam nuptiæ perficiantur, dotes constituentur,  
 hæreditas adeatur, hęc cum desit tutor fortè legitimus, dan-  
 dus aliquis à Prætorè Urbis, qui dotem promittat, nuptiasq;  
 perficiendas curet, quò factò desinit esse tutor, cum maritus  
 ejus bonorum administrationem accipiat, & ita quasi tutor  
 existat.

§. 22. Neq; obstat (2.) §. 22. *cod. tit. ibi: item ex*  
*Scito tutor datur mulieri ei, cujus tutor abest, præterquam qui*  
*Patronus sit, qui abest. Nam in locum patroni absentis alter pe-*  
*ri non potest, nisi ad adeundam hæreditatem & nuptias contrahen-*  
*das. Idemq; permisis in pupillo patroni filio.* Ex quo vulgò  
 colligunt, alterum tutorem esse dandum in locum absentis  
 pupilli patroni filii. Nam dicimus, non hanc esse Ulpiani  
 mentem, quasi pupillus patroni filio possit esse tutor, sed  
 idem jus esse in pupillo patroni filio quoad petendum tu-  
 torem seu curatorem, si tutor absit, quod in muliere observa-  
 vatur. Ex iis ergò satis manifestum est, minores olim tuto-



res esse non potuisse; adeo ut nec indigeant excusatione  
contra quod tamen vulgò Dd. pugnant.

§. 23. Nec facit interpretum de perfecta & legitima  
ætate in l. 4. l. 8. ff. de legit. tut. l. 9. §. 1. ff. de tutel. & rationi dis-  
strah. l. 16. ff. de tutel. commentum, ea verba subreptitiè & insi-  
pienter fuisse imposita, vel à Triboniano, ut Gothofredus in  
d. l. 16. notat, sicut conjecturâ ex §. 13. Inst. h. l. ult. C. de legit.  
tut. §. fin. l. de fiduc. tut. vel ab aliò imperitò glossatore, existi-  
mantium. Nam mittamus Tribonianum, nec dum conse-  
quetur dicere, olim pupillos & minores legitimos tutores  
fuisse, & ne fierent, excusari oportuisse. Quò enim referen-  
dum illud de legitima ætate tam sæpissimè in ff. inculcatum  
& repetitum? Certè nimis crudele esset, propter unicum  
§. tot claras leges à Triboniano vel alio imperito Interprete  
interpolatas pronunciare. Et ne illud fiat, expressè recla-  
mat Ulpianus in l. 9. §. 1. ff. de tut. & rat. distrah. ita ex Nera-  
tio ajens: *Si duobus impuberibus fr. tribus tutor datus sit, &*  
*alter eorum in legitimam tutelam fratris sui perfecta ætatis con-*  
*stituti recidit, eum, qui datus esset, tutorem esse desisse.* Id certè  
Triboniano imponendum non videtur. Nam si pupillus  
aut minor XXV. annis legitimus tutor fratris esse potuisset,  
non in eâ specie post unius XXV. annorum ætatem, alter de-  
mùm in legitimam ejus tutelam recidisset, in quam ante  
XXV. añum recidere non poterat. Si enim à principio tutor  
fuisse, non diceret Ulpianus, post illam unius ætatem alterum  
in tutelam ejus recidisse.

§. 24. Accedit, quòd eo in casu, quò alter frater alte-  
rius minoris fratris reciprocè tutor est, legitimus à Jcto di-  
ci nequeat duobus impuberibus fratribus tutor à magistratu  
datus, quia tùm à magistratu tutor datur, cùm nullus aliundè  
tutor sive testamentarius sive legitimus speretur; tutor enim  
tuto-



<sup>\*\*\*</sup>  
 tutorem habenti non datur, l. 9. C. qui perstitit, l. 9. C. qui datur  
 test. tut. poss. §. 5. Inst. de curat. l. 27. ff. de test. tut. l. 27. ff. de ad  
 min. tut. sed curator l. 13. ff. de tut. l. 25 de tut. dat. l. 9. de tutel.  
 & rat. distrab. l. 1. C. qui tut. vel curat. Ergo rectè & legibus  
 civilibus convenientissimè dicimus, minores XXV. annis nec  
 ante Iustinianum tutores legitimos fuisse, excusationeque ha-  
 buisse opus, frustra dissentiente præter alios Antonio Fabro  
 ingeniosissimo Jurisprudentiæ interprete in *Jurispr. Papinian.*  
*tit. 24. illat. 4. per l. 10. §. 7. ff. de excusat.* Adquam respon-  
 demus Jurisconsultum Modestinum ibi usurpasse verbum  
 ἀφελίξ, quod antiquus Interpres, impubes, reddidit. Verten-  
 dum erat minor, ut rectè vertit Antonius Augustinus, Bacho-  
 vius, Vinnius, Wissembach aliiqve passim. Accedit, quod  
 ibi non dicatur, minores olim tutores fuisse, sed tantum non  
 molestari eos oportere, antequàm majorenes fiant.

§. 25. Apparet ergo ex jam dictis, minores XXV. an-  
 nis tutores de jure nunquam fuisse. Mirandū propterea, Cujacium,  
 Hottomannum, Wesenbecium, Antonium Fabrum ali-  
 osque Commentatores hoc non advertisse. Quod si tamen  
 quid novi hic constitutum videri possit, erit illud unum, quod  
 Arnold. Vinnius in Comm. h. ex Bachovio adduxit, ut jam  
 non amplius agnato proximo, si minor sit, tutela legitima  
 ullò modò deferatur. Sed eà ætate insuper habità soli ex  
 agnatis proximis tutores fiant, qui sunt perfectæ ætatis, ut,  
 si proximiores omnes in minorennitate existant, subse-  
 quentes vocentur, quos olim exclusos fuisse, ac ne durante  
 quidem ἀφελίξια proximi ad administrationem tutelæ ad-  
 missos ostendit l. 16. §. 1. de tutel. l. 4. l. 8. de legit. tut.

Et hæc de genuino §. 13. intellectu. Plura quidem ex-  
 poscit materiã, quæ tamen, ne nimis prolixi simus, volentes  
 omisimus, Benevolum Lectorem ad Commentatores, quorum  
 innu-





innumerabilis datur copia, remittentes, gratiasque agentes  
summæ TRINITATI, quæ laborem hunc feliciter finire  
concessit.

## Coronides.

I. Placet hic coronidis etiam locò adicere, sc: quam  
medici à tutela excusationem mereantur, quos Modestinus in  
l. 6. ff. de excus. tutor. vel curat. *περιόδουσι* vocat? Antonius  
Augustinus acutissimus Ictus ad d. l. 6. p. m. 243. inter-  
pretatur circumforaneos. Cujacius verò ibidem cum vete-  
re Modestini interprete, quò nomine Barbarus Antonio Au-  
gustino d. l. laudatur, circuitores vertit, eosque, qui circum-  
foraneos interpretantur ibi reprehendit, addens: Tum de-  
mùm illam explicationem veram esse, si scriptum fuisset  
*περιαιγοργίσι* cum circumforaneorum appellatio vilitatem  
significet. Ast Antonium Augustinum juvat Cicero in Clu-  
entiana, *Pharmacopola*, inquit, *circumforaneos, qui properaret,*  
*cui fora multa restarent.* Ita etiam interpretatur *περιόδουσι*  
Sirmondus ad epist. Sidonii Apollinaris 12. lib. 11. Nec vox *cir-*  
*cumforanei* magis quàm vox circuitoris vilitatem sapit, testes  
sunt voces *περίπολοι* & *περίδρομος*, quæ de meretricibus  
vagus, & vox circulator, quæ de Agyrtis usurpantur. Igitur  
*περιόδουσι* circumforaneos rectè appellaveris. Verùm &  
circuitores rectè etiam à circumeundo eos dixeris. Nam &  
similiter *περίοντες* dicuntur Xenophonti h. e. *circum-*  
*euntes.* Ita Seneca 6. de benef. 16. itaque Medico, qui nihil am-  
plius quam manum tangit, & inter eos, quos perambulat, ponit sine  
ullo affectu facienda vitandave præcipiens nihil amplius debeo.  
Ita Hippocrates Cois discendæ & faciendæ Medicinæ causa  
Delum, Lybiam atque Scythiam peragravit, ut in libris suis  
passim testatur. Ita Galenus & Romæ eadem de causa, & in  
Ægyp-



\*\*\*

Agypto fuit. Adde Menagium *de amoenit. Jur. Civ. c. 35. per tot.*  
 Quos autem Medicos Modestinus *d.l.* intelligat, num eos, qui  
 per urbes varias medicinae faciendae causa hanc vel illac circula-  
 torum more vagantur, an vero eos, qui in urbe una aliqua cer-  
 ta, ut aegrotos invitant, vicatim discurrent, controvertunt Do-  
 ctiores? Videtur par utrobique esse ratio, tam enim qui per ur-  
 bem aliquam, quam qui per urbes varias sanitatis hominibus  
 reddendae causa, percurrunt, rebus pupillaribus caeterisque ci-  
 vilibus muneribus vacare posse. Ast verius videtur, ut *περιο-  
 δευτας* apud Modestinum accipiamus de iis medicis, qui cir-  
 cumeunt vicos unius certae urbis. Diserte enim scriptum est  
 ab Imperatore *ins. 15. l. de excusat.* medicos solum, qui Romae  
 aut in Patria sua medicinam faciunt, & intra numerum sunt, a  
 tutela & cura habere vacationem. Unde certe constat medicos,  
 qui per varias urbes discurrebant, immunitatem illam non ha-  
 buisse. Ita enim Jcti, qui in aliis civitatibus, quam quae erant  
 ad legalis scientiae disciplinam constitutae, vagabantur, immu-  
 nitatem nullam habebant. Et ita etiam vocem *περιοδευσις* ac-  
 cepit Cujacius *in d. l. 6.* ad differentiam Medicorum sedenta-  
 riorum, quos vocat, qui in domestico & umbratili otio Medi-  
 cinae potius student, quam medicinam faciunt. Igitur Medicis  
 solis, qui in Patria sua & Romae quae & habetur & est commu-  
 nis Patria) medicinam revera exercent, immunitas conceditur,  
 imò neque his conceditur, nisi intra numerum sint, qui in ci-  
 vitate Roma & Constantinopoli incertus *l. 6. C. Theodos. de Prof.  
 & Medic.* in aliis civitatibus vero certus, ut in maximis, decem,  
 in majoribus septem, in minoribus quinque *d. l. 6.* fuit, ut lo-  
 quitur Imperator *d. l.* Ut autem medici talem immunitatem  
 habeant, requiritur praeterea, ut decretò ordinis probati sint  
*d. l. 6. ff. de excus. l. 15. C. de Profess.* Decretò autem probati &  
 immunes facti contrariò decretò, si bene & sedulò munere  
 suo non fungerentur, improbari poterant *l. 2. C. cod.* Praeter il-  
 los, de quibus jam diximus, etiam militum medici, quamdiu  
 D  
 Rei-



R  
cipublicæ causa absunt, eandem immunitatem habent l. 1. C.  
cod. Atq; hæc sunt, quæ brevibus ad intelligendam L. VI. ff. h.  
adducere volumus.

II. Tutoris datio neque imperii neque ju-  
risdictionis est.

III. Adolescenti invito Curator non datur.

IV. Magistratus municipales tutores spon-  
taneò motu dare possunt.

V. Tutor ut suspectus removeri potest,  
etiam anteqvàm tutelam gerere incipiat.

VI. Tutor ob culpam remotus infamiã  
non gravatur.

VII. Actio, quæ Curationis causa datur, fi-  
nitã demùm curatione, ut tutelæ actio, locum  
habet.

IIIX. Filius familiã de peculiis adventitiis  
testari non potest.

IX. Precarium est Contractus innomina-  
tus & incertus.

X. Actio Pauliana est actio realis.





\*\*\*

OPTIMI PARENTIS OPTIMO FILIO

MAGNÆ SPEI JUVENI

DOMINO

GEORGIO CUNRADO SCHUSTERO,  
LIPSIENSI,

Affini suo dilectissimo

Gratul: scr:

D. PAULUS FRANCISCUS ROMANUS, P.P.

**P**ER varias, CUNRADE, artes AUDACIBUS  
ausis.

Hucusque cum pervaseris;

Et nondum vel mole geris vel pondere gressus,

Majoris indicium animi est.

Delicias, quæis blanda solet perfundere gnavos:

Nutrix honorum Pieris,

Arripuisse parum cupidam Tibi mente videtur:

Nisi plura propero suppetant.

Quam pulchre, bene adhuc memini, me Præ-  
fide stabas.

Themidis NEGOTIUM GERENS.

Ulterius grassare. Juvet procedere: tanti

NON CONSILIA fallunt Senis.

Qvo



137.  
**Q**uod præstas <sup>\*\*\*</sup>Juvenis nitido doctissimus  
ausu,  
Optarunt cano tempore posse senes:  
Pergito. Stelliferis sic ritè locabere tædis,  
Et stabit studium, quà stat Apollo tuum.

Dno. Autori, Affini suo honoratissimo  
honoris causa f.

CASPARUS THEOPHILUS ROMANUS,  
J. U. Lndus.

---

Eruditissimo Juveni,  
Dn. GEORGIO CONRADO SCHUSTERO,  
AUCTORI  
Commentationis hujus  
*elegantissimo*  
Fautori suo honoratissimo,  
*gratulab. scr.*

LUDOVICUS GÜNTHERUS MARTINI.


**Q**uicquid in abstrusis *Sophiæq;* *Themisq;* libellis  
Condedit, infractâ protrahis indè manu.  
Insta, ne reliquo (brevis est) Tu parce labori:  
Sic Laurum *Sophie*, sic *Themis* alma dabit.

FINIS.













X 2615905

lam









B.I.G.

Farbkarte #13

B. 576

**SENTATIO** 35

*37*

r. 13. Inst. 1671/16

vel Curat.

**INDULTU**

**LIPSIENSI,**

DE

Magnifico, Nobilissimo

entissimo

**IO TOBIA**

Dörffern /

io, Decretalium Prof:

nz Assessore, Canonico Martis-

egiato, Academix Decemviro

ore merentissimo,

re suo honoratissimo,

An. 1671.

Ctorum

Schuster /

R.

—

B,

L I A N I S.

*P. M. 9*

741.

*21*

